



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Augustæ plurimum, & maximo fructu laborat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

mandatam confirmare Canisio; sed & ipsemet
fatebatur in eo munere nihil se præter obedi-
tiam reperire, quod in suam quidem personam
quadraret; ac verebatur ne sermonum causam
vndecunq; captans curiosorum hominum gar-
rulus, conflandæ inde Societati inuidiæ, tanquã
in publicarum se rerum administrationem im-
mittenti, occasionem arriperet. Ob eam cautio-
nem, nec eo minus, quod aptiora sibi rebatur hu-
miliora munera, rogauit Patres Romanos, quod
tamen salua vsquequaq; obedientia fieret, effice-
rent apud Pontificem, quod effecere, vt ab ea pro-
curatione liberaretur.

Instabant iam Comitia, & magno studio re-
uocabatur Canisius Augustam. Quo cum aduo-
lasset, veteri instituto in templo principe Ieiunij
magni tractu conciones ad populum habuit tot
alias inter occupationes, vt prope miraculo esset,
quemadmodum hominis vnus infirmitas tam
multos, tamque graues caperet, aut sustineret cu-
ras. Idem Imperatricis rogatu semel quoque per
hebdomadã verba faciebat ad germanas ex eius
Aula Matronas, ac Virgines. Idem Pontificio Le-
gato Commendono aderat frequens, à quo & ad
animi

*Eius submis-
so, ac modestia.*

*Augusta plu-
rimum, &
maximo fructu
laborat.*

animi sui expiationem adhibebatur. Aderat Cardinali Othoni, Præsulibus Moguntino, ac Treuirrensi, atq; aliis fermè omnibus, qui iam conuerant Magistratib. sacris. Sed sanctiore hebdomada increbuit æstus laborum, cum Pontificiur Iobelæum ad Comitiorum felicem exitum sapientia, viq; sua sic promulgauit, vt & quamplurimos ad participandum impulerit: & Feria quinta, ac sexta de Christi Domini acerbissimis cruciatibus ter instaurata concione ferme octo horas impleuit cum inter concionem alioqui frequentissimã, Hæreticorum nobilium caterua magnè cupidè audiret. Deniq; cum Hieronymus quoq; Natalis, & Iacobus Ledesma, præterque eos, sacerdotes alij duo de Societate ad legendam messis libertatè religiosissimo illo tempore accersiti strenue collaborarent; nec Germanis modò, sed & Italici, Hispanisque certatim se offerentibus operam naueretur; ita celebratum est Pascha, vt præclarè de se exemplum Catholici aduersariis quoq; præbuerint.

Perniciosa Hæretici Catholici tentant.

Interim Comitia ex bono satis exordio haud felicitate pari progressa, ingentem piis formidinem, & curam iniecere. Coniunctis opibus Protestantan-